



39294

kat.komp.


F

Mag. St. Dr.

P

~~Fest. 3089~~

*Paczoski Paulis. Quattro Theol. de St. Jo.
carnationis mystetio.*



QVÆSTIO THEOLOGICA

D E

SS. INCARNATIONIS MYSTERIO,

Ex 3. p. q. 1. Doctoris Angelici.

In Alma Academia Cracouienfi

A

Rñdo Patre Fratrem PAVLO PACZOSKI Con-
uentus Andreouien. S. O. Cisterciën. Professo, Phi-
losophiæ Doctore, & S. Th. Licentiato

Dum in eadem Academia

Insignia Doctoratus in Sacra Theologia

Adm. Rñdus. Dñus. IACOBVS VSTIENSIS

S. Th. & I. V. Doctor, S. Floriani, & SS. Omnium

Præpositus, Facultatis Theologiæ Decanus

Sibi conferret.

Publicè ad Disputandum

PROPOSITA.

Anno Dñi. 1647. Mense Aprili Die 4. Hora 14.

254. In Lectorio DD. Theologorum.

UNIV.



UNIVERSITAS

IN STEMMA DOMVS REMBOVIANÆ.



Quam benè robustæ sociantur tela sarissæ,
Quamq̃ue peraugustum lumen in Orbe ferunt.
Alcūm tela petunt? quorsum? cælestia semper
In Patriâ spirat REMBOVIANA Domus.
Hasta quid? in medio? geminis connexa sagittis?
Denotat inuicti roboris illa decus.
Ergo felici Lechiæ decurre Triones
Passu, te pietas, te comitatur honor.

Fr. Lucas Lesiński S.O.Cister.
Conuen. Andreonien. Profess.



Perillustri & Reuerendissimo Domino,

**D. LEONARDO
REMBOWSKI,**

*ab hinc
Rembowski
in Poptiney*

Diuina Prouidentia

ABBATI POLPLINENSI,

S. O. Cisterciensis in Regno Poloniae

COMMISSARIO GENERALI,

Domino & Patrono Colendissimo.



MINIME habebam animo cui Thefes presentes
de Sanctissimo INCARNATIONIS MYSTE-
RIO ex penu Diuinae Scientiae depromptas, di-
care, & consecrare deberem Perillustri ac Reue-
rendissime Domine; illico namq; Patroni mei
& Macenatis Amplissimi; Tua scilicet Persona
menti occurrit mea, cuius memoria dulcis nun-
quam ab animo meo absuit, eamq; nulla unquam
obliuio, nulla terrarum interiecta moles, nulla locorum distantia obrue-
re vel amouere poterit unquam. Tu enim es, qui iam inde ab annis
aliquot supra decem, dum primò munus Tuum Commissoriale, omnium
votis & acclamationibus tibi commissum, admiranda prudentia exe-
querè, locaq; & Monasteria Ordinis corpore pariter & virtute lu-
strares, me nouellam plantam in Professione Religiosa confirmasti, rese-
cisti, & studijs Philosophicis hauriendis designasti. Vt merito tunc
cum vite paruula, qua recens nata tenaci vinculo adhaerens trunco, &

er.
ess.

Symbolus
3
ab ea brachijs veluti excepta & amanter sustentata referebat insigne. Vix nata sustentor; meritò inquam cum eiusmodi palmite gloriari, & felicem me talibus favoribus subleuatum, & paterno gremio exceptum, predicare potuerim inclamando, Vix natus sustentor. Temporibus verò subsequētib; longè amplissimis me beneficijs prater meritum cumulaſti, dum (vt alia plurima prateream) ad supremum Theologia gradum, & lauream Doctoratus sumendam mihi facultatem dare, Pastoraletmq; & Paternam benedictionem impendere non dubitaſti. Ingratitudinis proinde arguerer, si non aliquo submissionis, & intimæ meæ voluntatis argumento Tua in me beneficia reuocarem, publicaq; & honorifica contestatione diuulgarem. Tibi igitur animi mei grata significatio iure meritissimo exhibetur, Tibi nobilissimarum Scientiarum amator fructus studiorum meorum perlibenter atq; submissè impenditur & dedicatur. Sed nec desunt aliæ satis idoneæ, & grauissima rationes, quæ me ad id faciendum volentem induxerunt. Nam prater generis tui splendorem, maiorumq; decus, quod inter Illustres Orbis Poloni familias locū habet eximium; virtutum potissimum Tuarum decora, & præstantissima ornamenta, quæ in Te elucent, & manifestissimè conspiciuntur, & meum, & omnium in se animos conuertunt, singulosq; rapiunt in amorem ac admirationem. Non peccabo enim si vel leuissimè hic commemorauero animi Tui magnitudinem, atq; constantiã infractam ad aggredienda pariter & ferenda quaq; difficillima, laboremq; indefessum in propaganda Sacra Religione familia Cisterciens. cui non sine magna nostra latitia feliciter præsides. Exemplo siquidem æterni Verbi Vnigeniti Filij Dei, qui pro salute hominum à regalibus sedibus in uterum intemeratæ virginis descendit, & carnis trabea indutus, omnes diuitias gloriæ suæ profudit, immensoq; labores pro reparatione generis humani subiit. Tu quoq; pro animabus Tibi concreditis, ita valetudini Tuæ satis infirmæ non parcis, omneq; genus molestiarum aggredieris, vt nec hyemis asperitate, nec inclementia cæli, ab itineribus molestissimis atq; longissimis amoueri, aut deterrereri inquam potueris. Ipse vnus es Sacri Ordinis nostri Abbas Dignissimus, & Commissarius Generalis, ipsiusq; Ordinis prius Filius quàm Pater, prius sectator quàm informator. Ipse es cuius curâ nonnullis locis huius Ordinis obseruan-
tia

ria cultus iuxta Maiorum, & Religiosa Familia Cistercien: instituta in
veterem integritatem restitutus est & propagatus. Cum enim Diuina
benignitate memoria facunda, ingenio Diuino, vita spectata, consilio pru-
dens, fama celeberrimus, etate grandis, humanarum ac Diuinarum scien-
tiarum peritissimus sis, facillimo negotio omnes Te nostri Instituti secta-
tores, tanquam hominem de celo delapsum suspiciunt, predicant, vene-
rantur, Tuisque monitis, ac salutaribus documentis, atque viuis exemplis
inducti, vita Religiosa conformationem strenue arripientes, pietatis
ac omnis sanctimonie arcem capeffentes, felici gressu ad scopum destina-
tum decurrunt, Ordog, ipse Sacer tua opera & vigilantia luculenter
in dies eurescit. Et licet difficillimum sit opus, imo teste Gregorio Na-
zianzeno, ars artium, & disciplina disciplinarum regere hominem, qui
inter tot animantes & moribus varius, & voluntate diuersus, & quod
periculosius est insensus semper eis qui sibi præsunt; exactum tamen
Tuum iudicium, animus incorruptus, oratio & suada elegantissima, do-
ctrina sana, potissimum autem vita ab omni macula vacua effecit, ut
in omnibus penè Tibi subiectis eluceat quedam morum suauitas, debita
in Te propensio, ac virtutum omnium quasi quidam gratissimus concen-
tus exaudiatur. Quid verò dicam de clementia, quæ coniunctam ha-
bet maiestatem & auctoritatem? hæc ita omnium animos deuinxit, &
in Tui amorem, ac obsequium traxit, ut Patrem & Patrem omaninò be-
nignissimum omnes Te non dubitemus compellare, qui à doctrina San-
ctissimi Patris nostri Doctoris melliflui D. Bernardi minime discessisti.
Etenim ille omnibus qui præsunt hanc propinat admonitionem. Eru-
dimini qui iudicatis terram, discite vos subditorum Patres esse debere
non Dominos, studete magis amari quam metui, & si interdum seueri-
tate opus est, paterna sit non tyrannica, matres fouendo, patres vos cor-
ripiendo exhibeatis, mansuescite, feritatem ponite, suspendite verbera,
producite vbera. à doctrina, inquam, hac saluberrima, ne latum quidè
vnguem discessisti. Vnde eugnomosynes atque lenitudinis Tuae constanti
& perpetua fama effectum est, ut ad Te amandum colendumque studio
feramur incredibili, & à Deo Præpotenti, velit Te quam diutissime ser-
uare incolumem supplicibus deposcamus votis. Quare & ego minimus
quidem omnium eiusdem Sanctæ Religionis alumnus, deuotione tamen
voluntatis,

XX
voluntatis, & affectu pio in Te ita Deo volente promptissimus, Tibi Pa-
renti cōmuni & vindici nostræ Religionis, qui Moysen mansuetudine,
Heliam zelo representas, Tibi Archangelo Monachorum, (quod nomen
Fulbertus Odiloni Abbati attribuit) Patrono & Macenati meo Amplif-
simo, Quæstionem hanc præsentem, do, dico, consecroq;. Accipe itaq; hoc
leuidense munusculum quasi mea erga Te perpetua fidei & obseruatiã
pignus, operamq; hæc qualiscunq; sit, leto hilariq; vultu, & serena frõte
intuere, nominis deniq; Tui auctoritate defende, meq; ipsum Tuo patro-
cinio, fauore, & solita beneuolentia, ac humanitate innata complectere,
submissè oro atq; supplex obtestor.

Perillustri & Reuerendissimæ Dominationis Tuæ

æternum deuotus

Fr. PAVLVS PACZOSKI Conuen:
Andreouicn. S. O. Cister. Profess.
Sacræ Theologiæ Licentiatus,

D. O. M.



D. O. M.

QVÆSTIO

DE

SS. INCARNATIONIS

MYSTERIO.

Vtrum Incarnatio fuerit necessa-
ria ad peccati remedium, & ad
salutem consequendam auxilium
efficacissimum sola fide cognosci-
bile, atque tam quò ad temporis
circumstantiam, quàm quò ad mo-
dum conuenienter sit peracta?

CON-

CONCLUSIO I.

Incarnatio ad remedium peccati hominis non fuit simpliciter necessaria.

COROLLARIA.

1. *Licet Incarnatio in cuiusvis peccati humani tamen principaliter in remedium originalis est ordinata.*
2. *In Incarnationis opere maxima Dei relucet misericordia.*
3. *Ex Incarnatione nulla Dei dignitatis diminutio est subsequuta.*
4. *Nisi homo peccasset Deus non fuisset incarnatus.*
5. *Qui sacrosancto Incarnationis Mystério contradicunt, summe Dei bonitati inficiantur.*

CONCLUSIO II.

Incarnatio ad consequendam salutem est auxilium efficacissimum.

COROL

COROLLARIA.

1. *Efficacia Incarnationis Dominicæ etiam ad Creaturas possibles saluandas est sufficiens.*

2. *Homo plus beneficij ex Incarnatione retulit, quàm si nunquam peccasset.*

3. *Etiam in Angelos beneficia ex SS. Mysterio Incarnationis sunt deriuata.*

4. *Incarnatio est Dei Omnipotentis opus maximum.*

5. *Non potest non in admiratione esse Angelis Deum hominem factum.*

CONCLUSIO III.

Incarnatio ex parte naturæ Diuinæ est conuenientissima & sola fide cognoscibilis.

COROLLARIA.

1. *Non tamen fuit conueniens natura humana secundum se considerata.*

2. *Incarnatio etiam in bonū totius vniuersi cessit.*

B

3. Cogni-

3. *Cognitio Incarnationis supposita fide potest manifestari rationibus probabilibus & similitudinibus.*

4. *Nullius rationalis Creaturae propriae vires sufficientes esse potuerunt etiam ad coniecturam futurae Incarnationis.*

5. *Perscrutatio Incarnationis curiosa in Haereses precipitavit non paucos.*

CONCLUSIO IV.

ETiam quo ad temporis circumstantiam Incarnatio conuenienter est facta.

COROLLARIA.

1. *Merito nec in principio mundi, ante, nec statim post peccatum est executioni mandata.*

2. *Non debuit etiã differri vsq; ad finem mundi.*

3. *Incarnatio maxime commendat Diuinae Sapientiae profunditatem.*

4. *Ab Abacuc Propheta tempus Incarnationis conuenienter vocatur medium annorum.*

5. *Ab*

5. *Ab Incarnatione non modo legis noue, sed etiã
veteris auxilia cõuenienter dimanarunt in homines.*


CONCLUSIO V.

IN Incarnatione natura humana
assumpta, conuenienter est à Per-
sona Diuina terminata.

COROLLARIA.

1. *Assumere per se conuenit nature Dei.*
2. *Tota Trinitas Incarnationem Dei Verbi est
operata.*
3. *Conuenienter secunda in Diuinis Persona hu-
manitatem terminauit.*
4. *A plurimis Doctoribus conuenienter docetur
humanitatem absq̃ propria existentia assumptam.*
5. *Non fuit conueniens naturam humanam in
suis suppositis verbo uniri.*






D. Bernardus Abbas Clareuallensis Serm. 2.

De Natali Domini.

Verbum quod erat in principio apud Deum, & Deus erat, anima quæ de nihilo creata est & ante non erat, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua Diuino segregata artificio, qualis nulla iam caro erat, vinculo indissolubili in personæ coeunt vnitatem. Habes in his triplex genus potentiae, quod non erat creatum, quod perierat reparatum, quod super omnia erat paulò minùs ab Angelis minoratum.





E P I C Y T H A R I S M A
Ad Quæstionem Theologicam
DE SS. V E R B I I N C A R N A T I
M Y S T E R I O.

Rûdo. in Christo Patri Fratri

P A V L O P A C Z O S K I

Conuentus Andreouieñ. S. O. Cistercieñ. Profes-
so, Philosophiæ Doctõri, & S. Th. Licentiato
Lauream Doctoratus capessenti.

*A M. IOANNE RACKI Philosophiæ Doctõre, in Colleg: Vla-
disl: Rhetor: Professore, Honoris & amoris ergo*

C O N C I N N A T V M.

A T non edaci semper in exedra
Perdemus eum! surgite Gratiæ
Phæbumq; stertentesq; Musas,
Pierio recreate cantu.

Inflate buxum, tendite barbita,
Pulsate neruos, Atria, Porticus,
Lustrate, secretos recessus
Theologi pia lustra Circi.

At tu sacrorum prime sodalium
O PAVLE salve! Te profugum sui
Impune trans nubes auito

Calliope dedit ire calo.

Miramur isthinc turba minor pedum,
Cum te sequuntur, cum subeunt latus,
Feruntq; venti nec timentem

Icarie sonitum ruins.

Tibiq; semper terra minor globo,
Iam iamq; cerni difficilis suum

Vanescit in punctum. ô refusum

Numinis Oceanum! ô scelesto

Mirande vates maior Apolline
Orâcla pandes! Sistite, sistite

Vocemq; clamantis, capaci

Densum humeris bibat aure vulgus.

Quæ fata nostri? que reparabilis
Decreta lapsus? Quisue Theanthropon.

Ex arte stellantis sereni

In graciles tenuavit artus?

Hic absq; nullis marginibus fretum est

Hic maior astris; huius in Empyreo

Harere nescit magnitudo,

Hunc tremuit subiturus Atlas

At Castitatis, deripiens polo
Hunc arctat Aula. Heu Virginei status
Statura, non finita mundo!

Ætherea quia maior atbra
Æterna nostram, nec violabilis
Hæc PAVLE laus est: Calicolas Deus
Calosq; dedignatus, imos
Terricolas Deus ipse, venit
Subire sensus! Secula, secula
Demersa pridem secula recreat.

Quæ plenitudo? nostra primum
Secula glorificat? quis ardor?
Sed est fidei, tuta silentio
Merces, futuri temporis Arbiter.
Caliginosa nocte pressit,
Consilium Deus; in latentem
Diuinitatis, sola Fides thronum
Incurioso transeat ambitu,
Ut abo, perscrutator Arcani
Haud habitet simul ipse mecum.





Sub felicibus auspiciis
Adm. Reuerendi & Magnifici Domini
D. IACOBI VITELLII
S. Theologiæ Doctoris & Professoris,
DECANI S. FLORIANI,
Almæ Academiæ Cracouiensis
R E C T O R I S.

C R A C O V I Æ,
In Officina Francisci Casarij, Anno Domini 1647.

Biblioteka Jagiellońska



51470009025

